



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 158. Num Ordinarius existente justa causa obligetur dispensare in denunciationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

aliquo impedimento ligati, Sanch. num. 20. Castrop. loc. cit. Porro non requiritur cognitio causæ judicialis, etiam si ea fiat etiam pro foro externo; quia Concilium rem totam commisit arbitrio ordinarii, quod sufficienter ratione regulari potest, si ex testibus, etiam non juratis, agnoscat causam adesse remittendi denunciationses. Sanch. l. 3. d. 8. num. 4. Cevall. 99. pract. q. 604. Cutt. l. 57. n. 2. Castrop. l. c. n. 6.

Quæst. 158. Num Ordinarius existente justa causa obligetur dispensare in denunciationibus.

1. **R**Esp. affirmativè, quoties bono communi vel particulari contrahentium maximè expediat concedi hanc dispensationem. Sanch. l. 3. d. 10. num. 6. Gutt. c. 52. num. 4. Pont. l. 5. c. 31. post medium. Castrop. §. 5. num. 1. Tenetur enim ordinarius ex officio providere bono communi, & speciali subditorum; adeoque denegando hanc dispensationem, ubi bono communi vel speciali valde expediat, agit contra munus suum, & graviter peccat; poteritque à tali denegatione appellari, saltem quò ad effectum devolutivum. Castrop. l. c. cum Gutt. n. 5. quin & si stante justâ causâ, ob quam valde bono communi vel speciali contrahentium expediat dispensari, ordinarius nolit dispensare, posse illos contrahere ommissis denunciationibus; quia leges ecclesiasticæ non obligant cum tam gravi jactura. Docent Pith. b. t. num. 29. Castrop. loc. cit. num. 4. Sanch. d. 10. num. 27. Cönninck. loc. cit. num. 59. Gutt. num. 6. Hentiq. l. 11. c. 5. num. 5. & alii. Sed neque Concilium in gravissima causa malitiosi impedimenti, nec etiam in aliis causis gravibus permittit ordinario libertatem negandi dispensationem eo ipso, quò is judicet matrimonium expedire, & malitiosum impedimentum aliâ viâ tolli non posse; sed remittit ordinario judicare, an impedimento illo stante, expediat omittere denunciationses, dum aliâ viâ impedimentum tolli potest. Castrop. n. 2.

2. Dixi: Si maximè expediat: Si enim non valde, sed leviter tantùm ea dispensatio conducit bono communi vel speciali, dispensatio erit ad libitum dispensantis & gratiosa. Castrop. Arg. c. exposulasti. de cler. & excom. eò quòd levis commoditas, ut Castrop. abundè compensetur rigidâ observantiâ legis communis. Porro omnes causas supra adductas graviter bono communi vel contrahentium conducere, exceptâ illâ, quæ oritur ex verecundia ob disparitatem conditionis; item quæ consistit in gratia & favore magnatibus exhibendo, eò quòd hæc duæ causæ, etsi sint justæ, non tamen ita sint graves, quin sæpe gravius urgeat, & Ecclesiæ sit convenientius, legem illam de denunciationibus observare, ait Castrop. n. 3. citatis Cön. Sanch. Pont. ubi supra. De cætero tamen dispensatio facta ex causa justa leviori tamen, sit gratiosa, adhuc debet concedi liberaliter; adeoque ne quidem imponi potest dispensatio pecunia aliqua solvenda per modum mulctæ, aut eleemosynæ alicui loco pio faciendæ, uti generaliter quò ad dispensationem gratis faciendam dispositum est per Tridentinum Sess. 25. cap. 18. non secus ac omnes conveniunt, non posse Episcopum concedentem dimissorias obligare ordinandum, ut pro dimissorias eleemosynam faciat loco pio. Castrop. num. 5. licet cum Sanch. cit. d. 10. n. 10. admittat, si dispensatio fiat ob causam aliquam or-

tam ex culpa, imponi posse obligationem alicuius pecuniæ erogandæ, non quidem pro dispensatione, sed pro culpa commissa, & in penam illius, cui conceditur dispensatio.

Quæst. 159. An & qualiter denunciationses omisse ante nuptias adhuc præmittendæ sint consummationi matrimonii.

REsp. Si ob causam, vel etiam quia dispensatio ab ordinario facta non est integrè, sed solum pro matrimonii contractu, præmissæ non sunt denunciationses ante nuptias, adhuc contrahentes eas præmittere ante consummationem matrimonii obligati sunt, nisi fortè aliqua gravi & urgente causâ excusentur; aut nisi ordinarius expedire judicaverit, ut omnino & tunc omittantur. Prout hæc habentur in Trid. cit. c. 1. Estque hæc obligatio sub mortali; quia est in materia gravi, ut constat ex fine hujus præcepti, nempe ut impedimentum dirimens, si quòd subest, detegatur, & ne consummantes matrimonium exponant se periculo copulæ fornicariæ. Sanch. l. 3. d. 11. nu. 5. Gutt. c. 58. num. 1. & 2. Castrop. cit. §. 5. nu. 6. Pith. b. t. num. 30. Et quamvis Sanch. num. 2. Rodriq. in sum. c. 222. num. 1. tanquam probabile defendant, non esse mortale, consummare matrimonium ommissis denunciationibus, dum contrahentes certi sunt, nullum subesse impedimentum; eò quòd ratio legis, & consequenter lex, cessare videatur. Verùm contrarium dicendum; quia non statim hic & tunc in particulari casu cessante sine seu ratione legis lex cessat; & lex illa Trident. non hunc vel illum singularem casum respicit, sed omnes & in genere ob periculum fornicationis, si denunciationses non præmitterentur consummationi. Et sanè si ratio à Sanch. allata urgeret, pari modo non peccaretur graviter, si denunciationses illæ sine causa & dispensatione omittentur ante nuptias, dum contrahentibus constaret, nullum subesse impedimentum, quòd tamen illi AA. non dicent. De cætero peccari solum mortaliter per primam copulam, docent Henriq. l. 11. c. 16. nu. 1. & alii, quos sequi videtur Castrop. loc. cit. nu. 7. eò quòd Trident. solum videatur imperasse denunciationses præmitti, tum matrimonii contractui, tum consummationi; at quando consummatum est per primam copulam, nullum de denunciationibus præmittendis subsequentibus copulis præceptum imposuerit. Unctur hi AA. exemplo jejunii, quòd si semel violatum est bis comedendo, non peccatur postea de novo, si sæpius comedatur. Verùm probabilius docent Sanch. d. 11. n. 5. Gutt. c. 58. num. 2. Pith. loc. cit. & alii, peccari toties mortaliter, quoties petitur & redditur debitum; quia proceditur contra legem Ecclesiasticam graviter obligantem, & quantum est de se, incurritur periculum fornicationis; eò quòd posset subesse impedimentum dirimens, cum nondum sit adhibita diligentia juridica seu præscripta ab Ecclesiâ, ut detegerentur impedimenta; si quæ laterent, quæ se securos redderent.

Quæst. 160. Quinam factis denunciationibus teneantur denunciare impedimentum.

1. **R**Esp. primò: Dum impedimentum est publicum, vel probatu facilè, quilibet ejus con-